



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 2. Propria sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

tendit in subiecto extraneo tueri. Probat alij grauitatem, & leuitatem esse qualitates, quia sensu tactus percipiuntur. Huic argumento recte respondet Arriaga grauitatem, & leuitatem non in se ipsis tactu sentiri, qui tantum percipit impulsu ab illis productum, ex quo intellectus grauitatem infert per discursum, quia si ego manum supponam fornici, illius grauitatem non sentio, ex eo tantum quod aliunde sustentatur, & manui non imprimit impulsu, vt moueatur.

9 Recentes illi, qui asserbant grauitatem, & leuitatem tantum differre penes magis & minus, eo tantum nituntur fundamento, quod existiment rem ita posse sine multiplici qualitate, & earum oppositione componi.

§. II.

Propria sententia.

10 **PRIMA CONCLUSIO:** Grauitas & leuitas non identificantur cum substantia. Probat hanc conclusio ex accidentibus Eucharisticis: destructa substantia in hostia consecrata grauitant, & innato pondere deorsum descendunt, ergo remanet grauitas in his accidentibus: ergo separatur a substantia: ergo ab illa distinguitur. Communis solutio est in accidentibus Eucharisticis nullam manere grauitatem, neque principium aliquod motus deorsum, sed Deum effectiue mouere illa accidentia eo modo quo mouerentur, si ibi esset grauitas identificata cum substantia, ne ratione naturali notum fiat mysterium Eucharisticum, quod merito nostrae fidei alta Dei prouidentia reseruauit. Neque ideo, ait Arriaga, multiplicentur miracula, potius iuxta hunc dicendi modum, quoddam aufertur miraculum, videlicet grauitatem, quae sit accedens, & substantiae affectio, existere sine subiecto, & sine substantia, quam afficiat. Neque ad veritatem mysterij Eucharistici sincerè defendendam, magis refert hac, vel illa ratione, philosophari, tantum enim fide nobis tenendum est in hostia consecrata desinere esse substantiam panis, & reliqua accidentia superaddita eidem substantiae (mirro praesentia substantiae, et si quos alios modos proprios habeat superadditos, ibi permanere) quae verò accidentia superaddita substantiae conueniant, vel non, quae verò affectiones substantiae cum illa identificentur, negotium est purè philosophicum ad veritatem mysterij nullatenus spectans. Solutio haec satis probabilis est, verumtamen magis feror in partem, quae negat Deum perpetuo miraculose mouere accidentia Eucharistica, vt celet mysterium, nulla enim ratione de hoc miraculo nobis constat, neque vnquam illud Patres, qui soletter mysterium hoc fidei lumine inspicere, egregieque illius supra naturam excellentiam commendauerunt, talis meminere miraculi, communisque ferè omnium Philosophorum, & Theologorum sententia ne frequentia alia miracula concedat in productione accidentium, quae speciebus consecratis superueniunt, quantitatem superadditam admittit, ex qua tanquam ex subiecto communiter educantur, ne miraculosa creatio in cuiusvis accidentis productione concedatur. Neque verum est, quod ait Arriaga in sua sententia miraculum vitari, quod aliorum sententia concedere teneatur, quia grauitas, etiamsi distinguatur a substantia, in multorum sententia non distinguitur a temperamento primarum qualitatum, & etiamsi distinguatur, naturaliter conseruatur educta ex quantitate, sicuti naturaliter educitur nouus calor ex quantitate Eucharistica, sine substantia existente, non enim speciale miraculum est quodlibet accedens sine substantia conseruari, supposito miraculo, quo quantitas sine subiecto conseruatur.

11 Eandem conclusionem efficacius probo: grauitas, & leuitas non identificantur cum materia vt perspicuum est, eadem enim materia sub hac forma grauitat, & sub illa leuitat: non identificatur cum forma: ergo est quid distinctum a materia, & forma, & consequenter a toto composito, nullus enim dicit identificari cum vnione, quae tantum superest in composito identificato cum materia, forma, & vnione. Grauitatem non identificari cum forma compositi grauis patet in homine, cuius forma spiritalis est, & per se ipsam non grauitat, grauitaret autem si secum haberet identificatam grauitatem. Respondet Arriaga, idem argumentum fieri posse de potentia visua, & nutritiua, & specialem difficultatem in hac materia non habere, quia sicuti diximus animam rationalem habere potentiam visiuam identificatam secum, & non posse in se ipsa visionem

producere, dum est separata a materia, neque in illo tantum videntem constitui, sic dicere possumus habere secum identificatam grauitatem, quae est potentia locomotiva, & non posse in statu separationis motum deorsum, qui est proprius effectus grauitatis producere, neque se ipsam in illo statu innata grauitate mouere, quia motus iste, sicuti visio dependet a materia, & ab aliis accidentibus materiae inhererentibus. Difficultatem non fugit Arriaga est enim diuersa ratio de grauitate, & de potentia visua, haec enim productiua est visionis, quae est accedens corporeum, non potens educi ex subiecto spiritali, neque produci sine concursu specierum, quae in materiali subiecto recipi debent, ac proinde actio productiua visionis ex natura sua supponit subiectum materiale, ex quo educatur, & in quo recipiantur alia principia, videlicet species, a quibus dependet, & hinc fit non posse dari visionem sine materia, neque produci a forma in separationis statu, terminus verò producendus a grauitate tantum est praesentia localis rei grauis, actio a grauitate procedens tantum est motus localis, ex vi cuius producit hanc praesentia, sed praesentia localis animae, neque actio productiua illius ex nullo capite indiget subiecto materiali: sed optimè ex ipsa anima educitur, neque principium aliquod excogitari potest, ratione cuius indigeat materia, sicuti innumera reperiuntur in nutritione, & in aliis actionibus vitalibus: ergo si anima separata habet hanc potentiam locomotiuam, cum ipsa sit necessaria, & nulla ratione subdita imperio voluntatis, necessario reducitur ad actum, & anima separata grauitate cum illa identificata deorsum naturaliter in separationis statu descendit. Confirmatur: Principium productiuum non dependet in operari ab illo, a quo terminus producendus non dependet in instanti, in quo fit, neque in vterioribus, sed praesentia, quam acquireret anima motu deorsum nullo modo penderet a materia, neque ab aliis accidentibus, si illius principium productiuum tantum esset anima: ergo anima absoluta a materia, & reliquis omnibus accidentibus corporeis moueretur motu deorsum, si secum haberet identificatam grauitatem, quae est principium per se ad talem motum determinatum. Neque dici potest grauitatem identificatam cum anima immediate, & per se ordinari ad motum materiae cui vnitur, & non ad motum ipsius animae, quia grauitas illud per se mouet, quod per se graue constituit, idem enim est graue, ac propendens in motum deorsum, sed grauitas identificata cum anima primo, & per se constituit grauem ipsam animam: ergo primo, & per se illam debet mouere.

12 Fateor rationem hanc tantum immediate in hominem euincere, cuius forma spiritalis est, verumtamen ex homine argumentum conficitur ad probandum eodem modo contingere in aliis compositis, si enim in homine datur grauitas distincta ab illius substantia, saltem concluditur in reliquis compositis ex se possibile esse grauitatem distinctam, a qua motus deorsum procedat. Deinde si in homine non distinguitur grauitas a temperamento primarum qualitatum, sic etiam manifestè conueniunt temperamento primarum qualitatum sufficere ad constitendum corpus graue, & superflue poni grauitatem accidentalem identificatam cum substantia. Demum si in homine grauitas accidentalis resultat ex temperamento primarum qualitatum, eadem resultabit in aliis compositis, & omnia grauitate accidentali, & superaddita graui constituantur, duplicemque grauitatem habebunt, substantialem vnā, accidentalem aliam, si formae substantiales illorum grauitatem habent identificatam. Alia ratio desumitur ad eandem conclusionem probandam ex vaporibus, & exhalationibus terrae, quae secundum substantiam non distinguuntur a terra, & aqua, & tamen sunt leues, in quibus apparet separata grauitas ab aqua, & terrae formis, quod signum est euidentis distinctionis, verumtamen hac ratione iam vix ad tertiam conclusionem probandam, qua praecedens magis stabilietur.

13 **SECVNDA CONCLUSIO.** Grauitas, & leuitas non distinguuntur a primis qualitibus permixtis. Ratio est: nullum est fundamentum, neque vlla ratio, ad concedendas qualitates distinctas a primis, quae sint principium motus sursum, & deorsum: ergo primis qualitibus possunt hi motus tribui absque aliarum qualitatum multiplicatione. Confirmatur: si darentur grauitas, & leuitas qualitates speciales, haec deberent oriri a temperamento qualitatum, vt probabo conclusione 3. ergo ab eodem potest

oriri motus deorsum, aut motus sursum, cur enim qualitates primæ, quæ dicuntur producere specialem qualitatem, quæ sit principium motus deorsum, non poterunt dici principia ipsius motus deorsum immediate productiua; quodve fundamentum reperiri potest ad dicendum motum non produci immediate à primis qualitatibus, sed ab alia qualitate intermedia? Dixi gravitatem & leuitatem non distinguui à primis qualitatibus permixtis, quod non ita intelligi, ut existimes gravitatem, aut leuitatē necessariò inuoluerē temperamētum quatuor qualitatum, quodlibet enim elementum duplici tantum gaudet qualitate, & tamen omnia leuitate, gravitateque gaudent. Imò in mixto graui, in quod fluunt omnes quatuor primæ qualitates, existimo non omnes per se conducere ad motum deorsum, sed quādam intendere motum sursum, & alias motum deorsum, in quibus illæ prævalent, quæ intensiores, & efficaciores sunt, v.g. frigiditas intendit corpus deorsum mouere, calor illud intendit mouere sursum, præualeat frigiditas in calorem, quia intensior, & absolute corpus graue denominatur, illiusque grauitas taxatur mensurā omnium qualitatum, quādam, quia per se conatur motum deorsum, aliarum quia ratione ipsarum non crescit conatus ad motum deorsum accretione seu intensione qualitatum, quæ per se illum intendunt.

14 Illud quod ex Aristotele docent Conimbricæ, videlicet gravitatem, & leuitatem oriri non solum ex primis qualitatibus commixtis, sed ex raritate & densitate, sic iuxta mea principia interpretor. Corpora rara habent peregrina corpuscula intromissa, quorum plerique sunt aerea, hæc natura sua leuia sunt, & intendunt sursum corpus mouere, cuius conatus aliquantulum retardat ab actione seu motu conatum, quem habent qualitates corpori innatæ, quibus deorsum mouetur, & hac ratione licet in re rarum, & densum sit æquè graue, minus graue apparet, dum est rarum, non quia minorem conatū habeat ad motum deorsum, sed quia illum habet aliquantulum impeditū opposito conatu, quem aerea corpuscula intromissa exhibent, & ita minorem effectum producit, hoc est remissioem impulsū in corpore, quod occupat spatium, per quod dirigendus est motus, & hic tardior euadit, quod non contingeret, si mobile densum esset, nullaque includeret corpuscula leuitantia, quibus suus motus retardaretur. In opposita sententia, quæ plus materię concedit in eadem mensura corporis densi, quam rari, potest dici palmum corporis densi plus habere grauitatis quam habet palmus corporis rari, quia habet plus materię, & consequenter plus qualitates materię inherentes, facta tamen comparatione non inter extensiones æquales corporis rari, & densi sub quibus est magna inæqualitas partium entitatis, & secundum numerum, sed facta comparatione inter partes numero æquales secundum substantiam, & inter easdem numero restructas, & condensatas æquè græue fore corpus constans partibus raris, ac corpus densis partibus constitutum. Hæc ita componi possent nihil tamen prohiberet dici gravitatem specialem per se oriri à densitate, & leuitatem à raritate, si grauitas & leuitas, raritas, & densitas, speciales essent qualitates. Quid verò dicendū esse difficile erit definire, utrumque distictè poterit positū impugnari, & neutrum poterit positū fundamento suaderi, quia in his tota ratio ex experientia est sumenda, & hæc tantum non potest docere corpora densiora esse grauiora, an verò grauitas oriatur ex densitate tanquam ex principio, an verò immediate ex illis qualitatibus, à quibus oritur densitas, ita ut densitas, & grauitas concomitantur ab eodem oriatur principio, res est quæ omnem experientiam subterfugit.

15 TERTIA CONCLUSIO. In sententia, quæ gravitatem, & leuitatem, in qualitatibus specialibus constituit, hæc non oriuntur immediate à formis substantialibus, sed à primis qualitatibus, in quibus nos constituimus gravitatem formalem. Probo hanc conclusionem: aqua, & vapor, qui ex aqua vi caloris extrahitur, retinent eandem formam, & tamen aqua est grauis, & vapor leuis: ergo grauitas, & leon proveniunt immediate à forma, sed à qualitatibus, siquidem permanente eadem forma, & variatis qualitatibus corpus, quod antea grauitabatur, postea leuitat. Respondetis: eandem formas cum his qualitatibus, quæ se habent tanquam conditiones producere gravitatem, & cum illis producere leuitatem: sed eadem causa, v.g. Sol cū his dispositionibus tenentibus se ex parte materię producit hanc substantialem formam, & cum illis formā aliam

specie distinctam producit. Contra hanc solutionem oppono nullum apparere conditionis genus, quod possint habere primæ qualitates respectu grauitatis, vel leuitatis producendæ, si grauitas, & leuitas speciales sunt qualitates, & effectiue procedunt tantum à forma substantiali. Exemplum ad rem non est, quia formæ substantiales supponunt ex parte materię certas dispositiones, & ita forma specie distincta distinctas supponit, ad quarum exigentiam producit forma huius speciei distincta ab omnibus aliis, grauitas autem, & leuitas, si qualitates sunt speciales, nullas supponent dispositiones, nulla enim qualitas supponit ex parte subiecti qualitates alias, à quibus non effectiue, sed dispositiue dependeat. Ex hac disparitatis ratione argumentum desumo ad hanc solutionem impugnandam. Nulla datur forma substantialis, quæ producat in se potentiam aliquam, seu principium operarium, ex natura sua permanens, & debitum à primo instanti generationis, quæ talem qualitatem, seu potentiam producat dependenter ab aliis qualitatibus tanquam à conditionibus: ergo sine fundamento dicitur formas substantiales producere gravitatem, & leuitatem qualitates speciales dependenter à primis qualitatibus tanquam à conditionibus.

16 QUARTA CONCLUSIO. Si grauitas, & leuitas speciales sunt qualitates distinctæ à primis, inter se distinguuntur, non solum secundum magis, & minus, sed secundum naturam specificam eo modo, quo distinguuntur calor, & frigus, albedo, & nigredo. Hic dicendi modus sic posset intelligi, ut omnibus elementis idem centrum, in quod per se tendant assignetur, & sicuti terra, & aqua idem centrum respiciunt, tamen aqua descendit sub terra, quia fortius petit in centrum, sic aqua, aer, & ignis in idem centrum peterent, verum tamen aqua esset sub aere, quia media qualitate intensiori, & sic maiori impetu & conatu tenderet in centrum, & aer sub igne, quia maiori vi, & intensiori qualitate, quam ignis tenderet in centrum, quem dicendi modum, haud obscure tradunt recentes patrones sententiæ cui nostra conclusio contradictoriè opponitur. Sententia hæc in hoc sensu tradita ab omni veritatis specie aliena est, ex illa enim infertur manifestè ignem per se non intendere moveri sursum, sed de facto ascendere, quia reliqua elementa fortius illo petunt ad terræ centrum descendere, & ita de facto descendunt, & ponuntur sub igne, qui impeditur aliis elementis remanet in superiori loco, sicuti aqua impedita grauiori terræ remanet supra terram, etiam si ipsa petat ex sua natura esse in centro, quod terra occupat. Infertur etiam motum ignis deorsum non esse naturalem, sed violentum, quia non ordinatur in proprium centrum, neque per hunc motum accedit ignis ad centrum, quod exigit, sed potius ab illo recedit, non motus à se, sed motus virtute aeris, quæ vincit virtutem ignis, & ita ex vi illius aer constituitur sub igne, & hic remanet in eminentiori loco, sicuti cum corpus terreum ponitur supra aquam statim descendit, & ascendit aqua, quæ manet supra illud non motu naturali, sed violento. Dicere autem motum ignis sursum violentū, esse insanum est. Quia enim ratione ignis motu violento velocissimè ciceretur, quæ ratione, quo intensior esset ignis velocius maiori que conatu ascenderet, cum potius, si motus ille violentus esset, quo ignis esset magis exiguus, facilius vinceretur gravitate aliorum elementorum, & consequenter velocius deberet ascendere.

17 Demum quomodolibet intelligatur sententia omnino est à veritate aliena, quia si grauitas, & leuitas tantum differrent, penes magis & minus, utriusque exigentia, quoad substantiam, & quoad modum esset eiusdem rationis, & differret penes magis & minus, quia minori, maiori impetu secundum maiorem, & minorem intensiōem eundem effectum eadem ratione producendum, maiori minoriue velocitate, & intensiōe, si intensiōis esset capax, utraque exigeret. Secundò, si ignis propria vi, & interno conatu ascendit sursum, quod negare nefas est, in bona Philosophia, quomodo intelligi poterit velocius ascendere, quo minus habet virtutis, seu qualitatis, cuius virtute ascendit, & maiorem velocitatem motus, maioremque impulsū aliis corporibus impressum, ut igni ascendenti motum præstent, oriri ex maiori remissione, hoc est, ex maiori negatione virtutis eiusdem rationis, cum illa, cuius vi ignis de facto mouetur. Secundò ignis qui tribus gradibus qualitatis naturaliter sursum ascendit, cur tribus aliis gradibus eiusdem rationis prioribus adiunctis ab illo motu deliteret, & motum alium deorsum intenderet? quomodo enim augmentum

augmentum virtutis, à qua effectus procedit poterit effectum impedire, & alium oppositum producere? Hoc renuit omnis bona philosophia, & quælibet mediocriter ordinata apprehensio.

- 18 Dicunt aduersarij eundem impulsu posse esse principium motus sursum, & motus deorsum, ita eadem ratione posse eandem qualitatem esse principium motus deorsum in terra, & motus sursum in igne. Ad rem non est prædicta instantia, non enim doctrinam traditam impugno, ex eo quod non possint ab eodem principio motus diuersi & oppositi procedere, sed quia intelligi nequit ab hac virtute in hac intensiōis mensura procedere hunc effectum, & ab eadem in alia maiori non posse hunc effectum provenire, sed alium oppositum producendum, quia effectus ille, v.g. motus sursum non poterat procedere ab hac qualitate intensi ultra tot gradus, sed ita procedat ab hac, vt quo magis remitteretur virtus, citius & intensior produceretur effectus, quod omnino est imperceptibile, & quidquam aliud simili in impulsu non ostenditur. Quia, qui asserunt eundem impulsu esse principium motus sursum, & deorsum, sub eadem intensiōe indiuisibiliter sumpta asserunt posse esse principium vtriusque motus, & non negant impulsu, qui sub hac exigua intensiōe est principium huius motus, posse esse principium eiusdem sub quacunque alia maiori, sed affirmant eundem impulsu sub eadem indiuisibili intensiōis mensura diuersis conditionibus obfistentis, vel proicientis determinatum posse esse principium diuersorum motuum, quia idemmet secundum essentiam, & intensiōem indifferens est ad hunc motum deorsum, vel illum sursum producendum.

- 19 QUINTA CONCLUSIO. Si grauitas, & leuitas essent accidentia specialia specie distincta, adhuc certum non esset, an immediatè in se ipsi vna expelleret aliam, sicuti mutuò expelluntur calor, & frigus, & alia qualitates contrariæ. Probos: si ex aliquo capite contrarietas harum qualitatum deduceretur maximè, quia ordinantur ad motus impossibiles, hoc autem rem non probat, quia grauitas, & impulsus, quo mouetur corpus deorsum, ordinantur ad motus oppositos, & tamen non mutuò expelluntur, neque impulsus habet contrariam formam expellentem, vt probaui Controuers. 20. Physic. Punct. 3. ergo ex hoc capite non inferitur contrarietas harum qualitatum, possent enim vtrique in eodem subiecto recipi, & illa quæ esset intensior, seu maioris virtutis corpus mouere contra alterius propensionem. Sic in intellectu componuntur species ex se productiue assensuum in objecta contradicentia, & apprehensiones, quæ in hos assensus inclinabant, & intellectus determinatur ad hunc assensum, ex vi harum specierum, & huius apprehensionis, quæ euidentius proponebat obiectum.

§. III.

Argumenta soluta.

- 20 Obicit Arriaga contra conclusionem, qua diximus grauitatem, & leuitatem non distingui à primis qualitatibus. Accidentia tantum petunt esse in loco, vbi est subiectum, neque petunt spatium distinctum ab illo, quod habet subiectum: ergo non potest consistere grauitas, aut leuitas, ex vi quarum mouetur corpus in aggregato qualitatibus. Antecedens probat experientia lucis, & aliorum accidentium, quæ comitatur quodcumque corpus. Hoc argumentum, quod adducit Arriaga contra opinionem, quæ grauitatem, & leuitatem constituit in aggregato accidentium, posset etiam adducere contra illos, qui asserunt grauitatem & leuitatem qualitates esse speciales, sed æquè inutiliter, vt constabit ex solutione, quam iam subiicio, Resp. omnia accidentia exigere non separari localiter à subiecto, cui insunt, quia illa, quæ virtutem non habent mouendi corpus, ad motum corporis necessariò mouentur, illa verò quæ corpus mouent sicuti grauitas, & leuitas, petunt non separari localiter à subiecto, quia non possunt subiectum mouere, & permanere immobilia, sed petunt necessariò moueri simul cum eodem subiecto, quod mouent, & hac ratione petunt non separari à subiecto, æquè enim est inseparabilis à subiecto lux, quæ nequit subiectum mouere, & non potest, dum illud mouetur, non cum illo moueri, & quodlibet aliud accidens, siue distinctum, siue indistinctum à primis qualitatibus, quod potest mouere corpus, ea tamen conditione, vt simul cum illo moueatur, & non

potest subiecto moto, cum illo necessariò non moueri.

Obicit secundò: Si grauitas, & leuitas consistenter in aggregato primarum qualitatum, ignis & terra non summe opponeretur in grauitate, & leuitate, quia non summe opponuntur in qualitatibus, conueniunt enim in siccitate, ergo grauitas, & leuitas non consistit in aggregato qualitatibus. Respondeo corpus illud dici grauius, quod maiori conatu, seu maiori impetu mouetur, quæ motus indiuisibiliter provenit à qualitatibus diuersis, quæ dicuntur vnam efficere grauitatem, & hanc posse esse summe oppositam cum leuitate, etiam si qualitates seorsum sumptæ non summe opponantur, potest enim harum aggregatum summe opponi cum aggregato illarum in ordine ad motus, quos intendunt aggregata, etiam si entitatiue secundum se non summe opponantur, possunt enim oriri effectus summe oppositi à principiis secundum se non summe oppositis, præcipue, quando principium cuiusque effectus, est si vnum principium per se influens, entitatiue non est vnum per se, sed quoddam aggregatum per accidens.

Obicit tertio idem Arriaga: si grauitas, aut leuitas consistenter in aggregato primarum qualitatum, eo ipso quod aggregatum esset diuersum, esset diuersa grauitas: & leuitas: sed qualiter qualitate variata variatur aggregatum, ergo variaretur grauitas, & leuitas. Sed sic est, quod etiam si varietur vna vel altera qualitas manet eadem grauitas, & leuitas, vt videre est in ferro, quod æquè graue est dum est frigidum, & dum est candens, & valde intense calidum, ergo grauitas, & leuitas non consistit in aggregato qualitatibus. Huic argumento, quamcumque amplectaris sententiam respondere teneris, si enim dicas grauitatem, & leuitatem esse speciales qualitates ortas ex aggregato qualitatibus, eadè te premit difficultas, teneris enim rationem reddere, cur ex diuerso aggregato, quod est dum ferrum est frigidum, & dum postea igni applicatum ingentem calorem concipit, oriatur eadè grauitas. Si cum Arriaga dicas motum sursum, & deorsum oriri immediatè à formis substantialibus, saltem debes dicere, quod tradit Arriaga, videlicet eandem formam cum his accidentibus producere motum deorsum, vt respondeas argumento, delumpto ex aqua, & vapore, in quibus est eadem forma, & aqua mouetur deorsum, & vapor sursum. Respondeo hunc motum deorsum cum hoc impetu oriri ab hoc aggregato qualitatibus, & ab aliis quæ possunt esse intra certam latitudinem harum qualitatum, ita vt non maior motus, neque maiori impetu oriatur à calore vt quatuor, v.g. quàm à calore vt sex adiunctorum eiusdem qualitatibus, & sic de aliis. Hac ratione idem provenit motus à ferro calido vt quatuor, & calido vt sex, & dicitur æquè graue, quia grauitatem à posteriori metimur per motum, & illa principia siue in se magis minusve intensa, grauitatem æqualem dicimus constituere, quæ æquè in motum propendunt. Hac doctrina tenemur vti respectu colorum, quos dicimus oriri ex aggregato qualitatibus, & nihilominus sæpe videmus corpus modo parum calidum, quod absolute frigidum vocamus, & postea valde calidum retinere semper eundem colorem.

Obicit quartò: Difficile posse percipi, cum grauitas sit passio formæ, & non dispositio ad illam, quomodo variatum sit temperamentum primarum qualitatum sufficienter vt mutata sit grauitas in leuitatem, & tamen non fuerit sufficienter mutatum pro forma substantiali, cuius per se est passio ea grauitas. Si difficultas hæc alicuius est momenti, in eadem coniectus est Arriaga, quod facile leuincam. Affirmat Arriaga eodem n. 85, vbi prædictam obiectiōem adducit, quod etiam si grauitas sit identificata cum substantia nihilominus indigere certis accidentibus, vt actu possit grauitare, & corpus deorsum mouere, quibus deficientibus corpus graue virtutem non habet actu secundo conferuandi se in loco sibi debito, quod contingit in aqua ad vapores redacta, quæ virtutem non habet deorsum descendendi. Ex hac doctrina argumentor: Aqua intrinsecè per suam entitatè grauis seu potens se deorsum mouere, exigit ex natura sua accidentia illa necessaria ad motum, siue hæc passio appellatur, siue non: ergo intelligi non potest deficere accidentia, seu primas qualitates requiritas, tanquam cōditiones, vt aqua se moueat deorsum, & oppositas aduenisse, & adhuc permanere qualitates requiritas vt dispositiones, vt subsistat forma. Quod libere percipit Arriaga posse deficere qualitates primas requiritas vt cōditiones ad motum deorsum, & non deficere requiritas